

& apud alias nationes serui venundantur, & passim de domo in domum traheunt, analogia stat in eo, quod plerumque fieri solet; at filius tanquam haeres semper retinet sui Patris domum.

109. Si ergo vos peccati estis serui, utpote origine ex Adamo exorti, vos filius liberauerit. Si ergo natura filius Dei, omnium peccatorum remissionem faciens, de se per tertiam personam loquitur, dans gratiam, & auxilia ad expurganda, ac superanda peccata, vere liberi eritis. Id est vere, perfecte, ac solide. Et duo hoc verbum videtur hic denotare, vnum, libertatem, nempe ex Abrahamo, vel Moysse, de qua ipsi multum gloriabantur veram non esse, vt in praesenti ponderant Chrysofom. D. Cyrill. S. Thom. D. Bonau. & alij; alterum eos non posse alia ratione veram obtinere libertatem, nisi eos filius Dei ipse Iesus Christus omnium redemptor liberauerit; ipse enim solum habet ius liberandi, alij enim omnes sunt serui, & solum per ipsum liberantur.

Chrysof. Cyrill. D. Thomas. Bonauent.

110. Scio quia filij Abrahae estis. Duo dixerunt Iudaei vers. 33. Semen Abrahae sumus, nemini unquam seruimus. De seruitute haec Dominus egit, eos vere seruos ostendens, vt notant Rupertus, Albertus Magnus, cum sub peccato essent venundati, nunc vero eorum gloriationem de nobilitate Abrahae patris refutat. Scio quia filij Abrahae estis. Vos nempe agnosco originem habere secundum carnem ab Abrahamo, & vt notant D. Chrysof. Theodor. Heracleotes, Leontius, Euthymius, Theophylactus, & non statim in eos inuehitur, sed prius eis blanditur, ac eos demulcet, dicens eos a se cognosco filios Abrahae, & postea eorum vitia aliena ab Abrahamo arguit. D. Chrysofom. Placide, & pedetentim eos ab Abrahae cognitione abscindens. Et subdit: sed queritis me interficere. Quod valde alienum est a filiis Abrahae; quia sermo meus non capit in vobis. Non habet locum in vobis, nec illum intelligitis, nec percipitis, vt illi subditi sitis, & obediat. Ac prinde totus sensus est, fateor vos ab Abrahamo originem trahere, sed cum me vultis occidere, quia veritatem dico, facti estis Abrahamo degeneres.

Rupertus. Alb. Mago.

Chrysof. Theodor. Leont. Euthym. Theophyl.

111. Ego quod vidi. Assignat Christus Dominus rationem, cur Iudaei eum querant interficere, ac sua doctrina in eis non capiat. Vidi apud Patrem loquor: tota nempe mea doctrina, ac sermo est caelestis, & diuinus. Nam ego ea loquor, & praedico, quae apud Deum Patrem vidi, sicque hoc sermone, vt obseruatur D. August. Beda, D. Thom. Toletus, suam diuinitatem declarat, quod cum filius Dei sit apud Patre semper existens, in essentia diuina, vna cum Patre omnia videat, & quaecumque etiam, vt homo loquitur in ipsa essentia diuina, per scientiam creatam videt, & intuetur; & quamuis semper videat in Patre, de praeterito tamen loquitur, vidit, vt humano moti se accommodet, humanaeque infirmitati condescendat, Et vos quae vidistis. Aliqui codices Graeci habent. Audistis. Sed idem est sensus vt notant Apollinarius, & Theophylactus. nam idem valent audire, & videre, vtrumque enim significat cognoscere, ac scire: Vidistis apud Patrem vestrum, Non quod Iudaei viderint Diabolum, sed quod ipso instigante viderint peccata, in quibus Diabolus, eiusque malitia exprimitur, ac significatur. Facitis. Dum me queritis interficere, meamque doctrinam reprobatis.

August. Beda. D. Thom. Tolet.

Apollinar. Theoph.

\* \* \*

QUESTIO VIII.

Quare peccans dicitur peccati seruus?

RESPONDEO primò ex mente D. August. citandi tract. 41. D. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 42. & lib. 25. cap. 20. Theophylactus. Alberti Magni, D. Thomae, D. Bonau. Tolet. ac aliorum; Seruitus ista in hoc stat, quod a peccato commisso nullus homo suis viribus se possit liberare; quamuis enim peccati actio, illiusque comes delectatio facile habeantur, macula tamen peccati remanet infixi in anima, tanquam stigma in fronte serui, ratione cuius homo constituitur, ac agnoscitur a Deo, vt exofus, iniustus, inimicus, ac peccator. Remanet etiam reatus aeternae poenae, nam per peccatum homo illius afficitur dignus, remanet etiam continuus conscientiae stimulus, & morsus, quo peccatoris animus per singula momenta diu, noctuque premitur, ac torquetur, hisque tanquam quibusdam vinculis miser homo vt captiuus, & seruus astrictus tenetur, ab illisque minimè suis viribus se valet eripere, quam seruitutem explicans D. Augustin. citatus, exclamans ait: O miserabilis seruitus, seruus hominis aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo quiescit: seruus peccati quo fugit: secum se trahit quocumque fugerit. Non fugit seipsum mala conscientia, non est quo eam sequitur se, imò non recedit a se, peccatum enim quod facit, intus est. Hoc durum iugum peccati solum potest homo excutere a se Dei gratia, & auxilio, quo excitatur ad contritionem, & penitentiam, qua ex seruo peccati fit filius Dei adoptiuus.

112. August. Gregot. Theophyl. Alb. Magn. D. Thom. Bonauent. Tolet.

Peccator vt seruus astringitur peccati macula, veni tu poena, & morsu conscientiae.

Secundò. D. Hieron. in cap. 2. Ierem. num. 14. Nunquid seruus est Israel; sic ait, Nesciebam quod amnis, qui facit peccatum, seruus peccati sit: & seruiat vnusquisque ei a quo vincitur. Nati ergo de amico Dei Abraham; vitio suo facti sunt quasi filij Cham, cui dictum est, maledictus Chanaan, seruus erit fratribus suis. Cum homo a peccato sit deuictus, ac prostratus, hinc fit vt illius seruus efficiatur, nam vt ait D. Petrus Epist. 2. c. 2. n. 19. A quo quis superatus est, huius & seruus est. Hoc est in seruitutem addictus est. Hinc mancipium dictum est quasi manu captum in bello, & seruus quasi seruatus ab hoste, vt ait D. August. lib. 19. ciuit. cap. 15. Iure enim sic inducta est seruitus, dum victores hostibus bello captis, quos occidere poterant vitam condonarunt, necemque in seruitutem commutarunt, vt docet Iust. In instit. de iure pers. l. 4. §. 1. Vnde cit. loc. Petri sic legit D. August. A quo enim quis deuictus est, huius & seruus additus est.

113. Hieron. Ierem. 2.

Homo seruus peccati, a quo est vitium. 2. Petri. 2.

Augustin.

Iustian.

Tertiò. Vnum peccatum semel admissum semper sollicitat, ac instigat hominem ad noua peccata committenda, nec facile valet homo ei resistere, quin moueatur ad imperium peccati tanquam Domini sui contra rationem, tanta est enim debilitas hominis per peccatum, vt facile succumbat nouis peccatis, tanquam vinculis quibusdam detentus, & peccato tanquam domino suo traditus, vt ei seruiat, & obediat, sic ait Paulus Rom. 7. n. 14. Carnalis sum venditus sub peccato. Syr. Venditum peccato. Vendere iuxta radicem Hebraicam tradere significat, quod enim venditur, traditur ementi tanquam domino, vt ei seruiat. Et confirmatur totus discursus ex eodem Paulo citato loco num. 8. vbi ait: occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Hoc

114. Homo vt seruus peccati multis peccatis succubit.

Rom. 7. Syriacus.

Anselm.

Hoc est, vt explicat D. Anselm. vno peccato admisso concupiscentia, ac fomes peccati, quasi sopitus, vt canis dormiens, occasione legis sibi aduersa per suum mandatum excitatus, & irritatus exarsit in omnes prauos motus, scilicet superbiae, gulae, & caeterorum vitiorum.

115. Ambros.

Quartò. D. Ambros. lib. de Ioseph cap. 4. seruire, ait, est omne peccatum libera innocentia, quomodo enim non seruus omnis auarus; qui pro exiguo pecunia lucello seipsum auctionatur? quomodo non & ille seruus, qui subditus est libidini? Primum suis ardet incendiis, & peccati sui facibus exurit, suscipit omnes natus; & insidiatur somnis singulorum, vt vnus cupiditate potiarur, fit seruus omnium. Seruit igitur, ac miseram quidem seruitutem, qui ipse sibi dominos facit, ipse vult habere, quos timeat. Per peccatum valde rigidam, & duram seruitutem habet homo, omnes in se suscipit timores, vigilias amplectitur, labores, ac molestias non refugit, se multis tanquam dominis submitit, vt vnus cupiditate potiarur, ac iucundetur, sicque miser, vt suis vitiis subsequatur, ex Domino fit seruus.

119. Septuaginta. Genes. 39.

Iuxta Septuag. Iniecit vxor Domini sui oculos in Ioseph. Genes. 30. num. 7. & iterum Dixit uxori Domini sui, num. 8. Vxor viri priuilegio gaudet, si maritus Dominus, etiam & illa domina erat, cur ergo non domina, sed vxor Domini dicitur? Putiphar cum libidine luxuriae non esset infectus, Dominus nuncupatur; At illa quomodo domina esset dicenda, quae adulterij inuaditione a dominatu ceciderat, ac peccato seruiat? D. Ambros. lib. de Ioseph. cap. 5. Rele, inquit, vxor domini, non ipsa domina dicitur: nam quomodo domina, quae dominandi non habebat officium quae disciplinam domina non tenebat, ille Dominus, qui amantis non except facies, &c.

117.

Cum Israel pergeret per desertum clamat populus contra Dominum, recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porri, & cepe, & allia, anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Num. 11. n. 5. Cur qui Angelorum pane recreabantur tam affectuose cupiunt escas, quibus in Aegypto sub Pharaonis iugo utebantur? Manna cibus filiorum, utpote panis Angelorum. Porri, cepe, & allia, & similia eiusdem generis, quibus in Aegypto vescabantur, propria extabant seruatorum alimenta; Cum autem Israelitae per suam concupiscentiam, a filiorum iure in seruorum conditionem cecidissent, inde eorum seruitute impellente, filiorum escas respiciunt, & seruorum tantum concupiscunt. Nouatianus Epistol. de cibis Iudaicis cap. 4. apud Tertull. Diuinus Manna epulis vilissimos Aegyptiorum cibos praesferre ausi sunt, carnes inuoluntas inimicorum, atque dominorum ante libertatem ponentes, digni sane, quos optata seruitus saginaret, quibus male displicuit, & melior, & liber cibus.

Peccator a sua conditione pellitur in rem seruorum.

Nouatian.

QUESTIO XIV.

Quare Christus ait, Sermo meus non capit in vobis; scilicet Phariseis?

118. Theophyl.

THEOPHYLACTVS in praesenti: Sermo meus non capit in vobis. Sermo meus ait, sublimior est vestra cogitatione, & a vobis capi nequit. Sed quamuis valde sublimis esset Christi doctrina, tamen si Iudaei pius exhibitura in Euang. Tom. IV.

buissent animum, ac beneuolum affectum erga Christum deposita maleuolentia, ab ipso illuminarentur, vt depulsa tenebrarum caligine ex mente verba eius perciperent.

Secundò. D. Augustinus tract. 42. Sermo meus, ait, non capit in vobis; si sermo meus caperetur, caperet; si caperemini, inter retia fidei tanquam pisces concluderemini. Quid est ergo non capit in vobis? Non capit cor vestrum, quia non recipitur a corde vestro. Sic enim est sermo Dei, & sic esse debet fidelibus, tanquam pisci hamus; tunc capit, quando capitur. Expende vltima verba, tunc capit, quando capitur. Tunc enim sermo Dei capit in aliquo, quando aliquem ingreditur, eiusque cor penetrat, & tunc capitur verbum, quando ab homine tenetur, ac ab illo inter se continetur, nec enim fat est, vt quis verbum sono tantum auribus excipiat, sed in cor, ac intima viscera transmittendum est, vt ab illo hominis viscera confingantur, ac moueantur; quemadmodum enim piscis in visceribus trahit hamum, per hamumque ex pelago in litus extrahitur: sic bonus verbi auditor inter viscera sua trahit Dei verbum, per illudque tanquam per hamum ex laethali peccati profundo in praecundum gratia litus transmittitur.

119. August.

Sermone Dei suscepto ex peccator ducimur in vitam.

Tertiò. D. Chrysofom. homil. 53. Non dixit, ait, non capitis sermonem, sed sermo meus non capit in vobis, ad doctrinae magnitudinem significandam: vt explicatur in margine S. Doctoris, ac etiam habet Beda non in vobis, hoc est non habet locum in vobis. Vnde Syriacus legit: sermone meo capiendi non sufficitis. Acti dicat Christus, quod sermo meus non capit in vobis, vestra quidem haec, & non mea culpa est. Corda enim vestra plena sunt inuidia, & odio mei, vt sermo meus nequeat in illis recipi, sed reiciatur: quemadmodum cibus stomacho vitiosis pleno non valet excipi, sed euomitur, est enim metaphora sumpta a simili huiusmodi re, expurgandus est animus a vitiis, vt illum Christi sermo penetrat, quod etiam Gentilis Seneca de sapientia asseruit. Epistol. 88. Magna, & spatioiosa res est sapientia vacuo illi locus opus est. Et post nonnulla ait: Haec tam multa, & tam magna vt habere possit liberum hospitium, superuacua ex animo tollenda sunt. Non dabit se in has angustias virtus: laxum spatium res magna desiderat: expellantur omnia: totum pelvis illi vacet.

120. Chrysof.

Beda. Syriacus.

Vt sermo Dei suscipiatur, cor a peccatis euacuandum.

Inclinam cor meum ad faciendas iustificationes tuas, ait Psalmista 118. num. 112. opposito verba legit D. Hilarius. Declinam cor meum, qui se inclinat appropinquat, ac accedit; qui vero declinat, recedit, ac se retrorsum reflectit; quomodo ergo vtraque lectio subsistit; optime, sanè vna alteram explicat, qui se enim inclinat, ac admoet ad faciendas Dei iustificationes, eiusque mandata adimplenda, necesse est, vt a se, suisque vitiis, ac concupiscentis declinat, ac recedat, vt his euacuatus aptum vas redatur Dei praeccepta capiendi, ac suscipienda. Citatus D. Hilarius. Cor suum ipse declinat, ait, & ex natura humane peccatis in obedientiam Dei inflectit. Natura quidem, & origo carnis suae cum detinebat: sed voluntas, & religio cor eius ex eo, in quo manebat originis vitio ad iustificationum opera declinat.

121. Psalm. 118.

Abiice peccata ut praepares animam ad Dei doctrinam. Hilarius.

A sinibus terra ad te clamaui, dum anxietur cor meum. Idem regius vates. Psalm. 60. num. 2. Nunquid David aliquando accessit ad Indos, vel ad nostros Lusitanos; nunquam ipse legitur egressus ex Iudaea, quae in medio terrae consistit.

221. Psalm. 69.



Pfalm. 73. Dimitte remota ut ad Deum exores

Pfalm. 73. n. 13. Quomodo ergo è finibus terræ ipse clamare dicitur? sine dubio figurata est locutio, per terram ergo terrenam substantiam intelligit, ait ergo quod ita à se, terrenaque concupiscentia, ac sæculi desiderio erat segregatus, tanquam, si iam à tota terrena machina exiisset, ad extremòsque carnis fines devenit, sicque esset in carne, acsi à carne esset egressus, & tunc tanquam maximè dispositus dicitur ad Dominum clamare. D. Hilarius: Non hic, ait, extrema solitudinum, aut contrigua Oceani incolabat; sed sciens se in carne quidem, qua terra est degentem iam in sine carnis habitare: dum secundum Apostolum habitans in corpore peregrinatur a Domino; dum vivens iam non sibi vivit, sed vivit in eo Christus.

Hilarius.

Ioan. 8. n. 39. Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est; Dixit eis Iesus: si filij Abraham estis, opera Abraham facite.

Num. 40. Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit.

Num. 41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: nos ex fornicatione non sumus nati: vnum Patrem habemus Deum.

VERSIONES.

Chrysof. Orig. Si filij Abraham essetis, opera Abraham faceretis.

Syriacus n. 40. Nunc autem ecce studetis me interficere.

Syriacus n. 41. Nos ex scortatione non sumus: vnus est nobis Pater Deus.

Euthym. Vat. Nos è stupro non sumus nati.

Arias. Nos ex fornicatione non sumus facti.

EXPOSITIO II.

123. RESPONDERUNT, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Quia Christus videbatur alium assignare patrem, & eum tamen non nominaverat, ideo ipsi occurrunt se alium parentem non cognoscere, nisi Abraham, tum de ipso gloriantes, tum etiam affirmantes, quod antea dixerant: Semen Abraham sumus. D. August. existimat eos hoc protulisse existimantes, quod Christus aliquid mali de Abrahamo diceret, vt inde eum occideret. Rupertus ait, sperabant quod Christus negaret eorum Parentem Abraham, vt inde eum calumniarentur. Valde prudenter Christus contra eos, eorum retorquet argumentum. Si filij Abraham estis, opera Abraham facite. D. August. tract. 42. Non negat, ait, eorum originem, sed facta condemnat, caro eorum ex illo, scilicet Abrahamo,

August.

Rupertus.

August.

erat, vita non erat. Sic ait Apostolus Rom. 4. n. 9. Non enim omnes, qui ex Israel sunt, is sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abraham, omnes filij. D. Chrysof. serm. de Zachæo; sicut & multi Græci legunt. Si filij Abraham essetis, facta patris vestri faceretis. D. Cyrillus in cap. 9. Amos. Non enim Deus, ait, carnalem nobilitatem studiosis actionibus destitutam agnoscit; & post pauca: apud Deum quippe nobilitas censetur boni mores, cum religione maiorum contendere soliti.

Rom. 4.

Chrysof. Nobilitas generis boni mores. Cytill.

Nunc autem. Probat eos non facere opera Abrahami, cuius origine gloriabantur. Queritis me interficere Innocentem, benefactorem vestrum, ac pro vestra salute à Deo missum, qui veritatem vobis locutus sum. Et non ob aliam causam mortem cogitatis, nisi quia fideliter vobis veritatem locutus sum, pro quo multa obsequia à vobis rependenda erant; quam audiui à Deo. Et non qualemcumque veritatem vobis prædico, sed eam, quam vobis annuntiandam accepi à Deo, in quo maximè eorum malitiam, & ingratitude arguit; Hoc Abraham non fecit. Ecce quomodo opera vestra contraria sunt operibus Abraham, ille enim nullum interfecit, sed quantum potuit, pro Lot, ac cæteris laboravit, vt eos saluaret.

124.

Ingratitudo in obsequiis acceptis.

Vos facitis opera patris vestri. Cum dixisset Dominus immediatè antea eos non facere opera Abraham, Queritis me interficere hoc Abraham non fecit. Immediatè tunc subdit. Vos facitis opera patris vestri. Apertè de notavit eos non esse filios Abraham, sed alterius: Dixerunt ei, bene intellexerunt Iudæi ex verbis Christi, vt obseruat Tolet. quod ipse lequebatur de Patre non secundum carnalem generationem. Nam supra num. 37. dixit. Scio quia filij Abraham estis, sed quod agebat de patre spiritali, & quia suspicati sunt quod Christus aliquem sceleratum eis patrem adscriberet; ideo subdunt.

125.

Tolet.

Nos ex fornicatione non sumus nati. Primò. Origenes, D. Cyrillus in Catena Græca, Leontius existimant Iudæos tacitè conuictum retorquere in Christum, nam multi turpiter aberrantes, ac Christo invidentes dicebant ipsum ex adulterio natum. Origenes: Atrocius respondent, latenter designantes ex adulterio natum Christum. Secundò. Euthym. Rupertus, astruunt quod sic respondent, tanquam asserentes se non esse natos ex Agar ancilla. Tertio alij de fornicatione carnali exponunt, tanquam si dicant, nos non sumus nati ex fornicatione, vt alium patrem diuersum ab Abrahamo habeamus. Quarto. D. Augustin. D. Thom. Caietanus, Toletus, Maldonatus de fornicatione spiritali interpretantur, id est, non sumus nati ex idololatria, ex parentibus nempè gentilibus, vnum enim Patrem Deum verum habemus, valde frequenter in Scriptura per fornicationem idololatria subintelligitur: Ose. 1. n. 2. Ierem. 3. num. 9.

126.

Origenes. Cytill. Leont.

Euthymius. Rupertus.

August. D. Thom. Caietan. Tolet. Maldon.

Ose. 1. Ierem. 3.

127.

Probabilior interpretatio.

Ultimo satis aptè, vt mihi videtur, explicatur textus, viderant ipsi, quod Christus eos dixerat secundum carnem filios Abraham, scio quia filij Abraham estis, tamen spiritaliter affirmaverat, quod alium parentem haberent, acsi iuxta phrasim scripturæ denotaretur, quòd essent fornicari, relinquentes, ac si violantes fidem veri Dei, quem coluit Abrahamus, tunc dicunt ipsi non sumus nati ex fornicatione, ac fidem, ac pietatem Abrahami relinquimus, sed illum, eiusque opera imitatur, ac tanquam ipsius filij vnum Deum habemus, Patrem, ideo indignè tanquam

EXPOSITIO XII.



IXIT ergo ei Iesus. Duo de se affirmarunt Iudæi antecedenti num. Primum se non esse natos ex fornicatione, secundum Deum habere patrem. Et quamvis multi eorum, vt obseruat Chrysof. essent nati ex fornicatione, hoc tamen tanquam infame, turpe, ac iniuriosum prætermisit Christus; ad secundum respondet, ostendens eos non habere patrem Deum; si Deus pater vester esset, diligeretis vique me; sicque rem declarat hoc syllogismo. Qui diligit Deum, diligit & filium Dei, qui vos non diligitis filium Dei, me scilicet tot signis, ac Scripturis eius filium manifestatum: ergo neque diligitis Deum. Ego enim ex Deo processi, & veni. Græcus exim. D. Hilarius lib. 6. de Trinit. D. Augustin. Leontius, Ammonius in catena Græca, Beda, D. Thomas, docent hic denotari, vtramque Christi generationem, ita vt processu referatur ad æternam à Patre; Veni verò ad Incarnationem. Origenes tamen, Euthym. Theophylact. Rupert. Iansenius, Maldonatus, vtrumque verbum referunt ad Incarnationem, ita vt Christi diuinitas etiam denotetur, vt fit sensus, exiui à Deo, & veni in mundum, qui sum Dei filius ab æterno. Neque enim à me ipso veni, sed ille me misit. Loquitur de se, vt notat Rupertus, vt homo, quia ratio à se ipso non venit, sed à Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto missus est. Volunt etiam Origenes, & D. Hilarius citari, vt fiat hic allusio ad quosdam Prophetas venientes ad populum: de quibus ait Ierem. 23. num. 21. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: & non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.

128.

Græcus. Hilari. August. Leont. Ammon. Beda. D. Thom. Origenes. Euthym. Theophyl. Rupert. Iansen. Maldonat. Rupertus.

Origenes. Ierem. 23.

129.

Quare loquelam meam non cognoscitis? Vt quid non percipitis meum idioma, modumque loquendi? cum sit valdè consonus loquelæ, eiusque verba referat, sicut enim vnaquæque gens cognoscitur ex sua loquela, vt diueta ab alia, vnde Petro dixerunt, quod eius loquela faciebat eum manifestum Galilæum. Matth. 26. num. 73. Sic ipsa Christi vox, eiusque loquela eum manifestabant filium Dei, eius vox vocem Dei Patris representabat; tum ex sublimitate eorum, quæ dicebat; vnde Ioan. 7. num. 46. Proclamauerunt: nunquam sic locutus est homo. Tum ex autoritate, & imperio dicendi. Matth. 7. num. 29. Erat docens sicut potestatem habens. Tum ex gratia. Pfalm. 44. num. 3. Tandem quia omnia eius verberesonabant Dei eloquium in Scriptura contentum. Nota, quod inter tot signa diuinitatis, eos maximè arguit Christus, quod eum ex loquela non agnoscat, hæc maximè vnumquemque declarat. Quia non potestis. Rectè D. Chrysof. Euthym. Theophylact. Non potestis, id est non vultis. Non posse enim pro non velle ponitur. Subditur. Audire sermonem meum. Patres proximè citati, & Origenes, D. Augustinus, Beda, & alij sic interpretantur, vt audire idem valeat, ac intelligere, & capere; maiori vi Maldonatus ex D. Gregor. Nazianzeno Orat. 4. de Theologia explicat, vt idem sit, ac auribus excipere; & tunc est sensus tanto odio, inuidia, ac malevolentia ferimini in me, vt non velitis vestras aures ad mea verba adaptare. Rupertus. Pre ody magnitudine grauis sum vobis, ego ad videndum, & sermo meus ad audiendum. Nam vt ait Glossa: quia ex diabolo estis, in eo perseverare.

quam adulteros, ac spurios nos facis à fide Abraham.

Ioan. 8. n. 42. Dixit ergo eis Iesus: si Deus Pater vester esset: diligeretis vique me: ego enim ex Deo processi, & veni, neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.

Num. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis: quia non potestis audire sermonem meum.

Num. 44. Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio: & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium ex propriis loquitur: quia mendax est, & pater eius.

Num. 45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.

VERSIONES.

Syriacus n. 49. Ego enim à Deo exiui, & veni: neque ex voluntate mei ipse veni, sed ille misit me.

Arias. Ego ex Deo profectus sum.

Vatablus n. 43. Quare dicta mea non agnoscitis?

Vatabl. n. 44. Vos ex parte diabolo estis, & desiderii patris vestri vultis obsequi.

Euthymius. Desideria patris vultis explere.

Syriacus. Vos ex patre criminatore (diabolo) estis: & cupiditatem patris vestri vultis exequi: is est, qui à principio fuit homicida, & in veritate non præstitit: quia non est veritas in eo, & quotiescumque loquitur mendacium de suo loquitur, quoniam mendax est, & pater ipsius mendacij.

Arabicus. Occisor hominum fuit ab initio: quando loquitur mendacium, tantummodo loquitur, quod est illi.